




Miscel.

0.



26. 34.





III
ORATIO
DE RATIONE
DISCENDI,

AC PRAECIPVE
MEDICINAM.

SCRIPTA
Per Iohannem Placotomum
Doctorem Medicinæ.



LIPSIÆ 3
IN OFFICINA VALENTINI
PAPAE.

Anno

M. D. LII.

πᾶν διακοσμεῖται τάξι τὸ τελευτηνὸν ὀρθῶς
μήδ' ἄρ' ἐν κείνης μηδ' ἐν ἄνευθε καλόν.
ἄιδ' ἐ μαθητῆαι Τάξι φιλέσσι μάλισα
ὡππερ ὁδ' ἐλλογίμω χειρὸς ἐδειξε πόνθ
τέχνης ἢ προτιθεῖς ἰδίης ἐδλὸν παρὰδειγμα
εἰδήσθ' δὲ λόγον τὸν δ' ἀναλεξάμενθ.

Ἰωαχ.

EPIGRAMMA
HENRICI MOLLERI HESSI
POETAE CVLMENSIS.

Sicut ad unius metam sepiissime tractus
Diuersum uario limite ducit iter,
Hoc legit obliqua longos ambage recessus
Et flexum curuos itq; reditq; sinus,
Ast aliud recto propiores tramite cursus,
Expedi & spatio tendit abitq; breui.
Hoc uaga perplexo reddunt errore molestum
A uia commoditas illud amœna leuat.
Hoc iam summa petit, iam per decliua rotatur,
Sæpe intercipiunt, saxa lacusq; uiam.
Ac illud prono semper curuamine fertur
Margineq; ardentes spirat utroq; rosas.
Sic unam uarij calles panduntur ad artem
Dissimili ad metam, qui ratione uehunt.
Hic succincta breui monstrans compēdia cursu,
Dirigit ad rectum, sicut amussis iter.
Alter circuitu per multa uolumina manans
Sero prolixum, sine coërcet opus.
Ac alium reddit confusio cæca molestum
Qui claudit fallax, ut Labyrinthus iter.
Ac alium methodus pulcherrima sternit amœ-
Cui facilis dubias exiit ordo uias. (num

Ergo suos aliqua qui ponit in arte labores,
Nec sperata illos fruge carere uelit,
Hanc sibi discendi rationem deligat ille
Quam facili possit cognitione sequi.
Et qua propositæ finem contingere metæ
Se profecturo posse labore putat.
Talis erit succincta quidem breuiorq; sed intus,
Quam series lepidis ornet amœna iocis.
Illius exemplum medicam discentibus artem
Dant hoc Placotomi scripta diserta libro.

Docti=

DOCTISSIMIS ET
HUMANISSIMIS IUVENIBVS
SIMONI ET SEBASTIANO

Scheiben fratribus, ingenuarum artium
Magistris, Medicinæq; candidatis,
affinibus suis Charissimis.

S. D.



Non minor est uir-
tus quam quærere,
parta tueri, inquit
Poëta Ouidius, do-
ctissimi iuuenes atq;
affines Charissimi.

Vt igitur semel inter nos contractam
amicitiam tueamur, foueamus, atq;
indies amplificemus, arte quoq; opus
est. Cum autem longe disiuncti si-
mus, nescio quonam officiorum ge-
nere id commode fieri possit. Neq;
enim scribendi materia semper offer-
tur, nec copia nunciorum datur, neq;
literæ ab omnibus fideliter perferun-
tur. Quid igitur faciam? Nihil oc-
currit aliud in præsentia quam hoc.
Cum in Regio monte Prussiae dege-

A 3

rem,

EPISTOLA

rem, oratiunculam quandam de ratione discendi Medicinam auditoribus meis conscripsi, quam haecenus nec publicavi, nec communicavi cuiquam, sed tantum recitari in lectorio pro consuetudine istius scholæ tunc temporis, curavi, eam uobis tantisper mittere uisum est, dum alia sese occasio offerat. Non quod uobis in discendo meo consilio opus esse existimem (Habetis enim præceptores in arte Medica uiros Clarissimos, D. Sebastianum Roth, Aurbachium, Paulum Vecerum, Gasparem Neuium, Guolph. Meurerum, & reliquos, qui sine dubio rectissimum ad Medicinam aditum dudum uobis monstraerunt atq; patefecerunt) sed ut *μνημόσινον* aliquod ad uos mitterem, quo absentis amici interdum admoneremini. Scripsi enim eam non uobis, qui aliquotenus progressi estis, aut alijs prouectioribus, sed tantum rudibus, et quibus nulla præceptorum copia fuit, ut ijs quasi uiam
quan-

DEDICATORIA.

quādam discendi artem tam arduam per tot authorum scripta in tot docentium, discentiūq; diuersitatibus monstrarem. An uerò cōsecutus sim quod uolui, uestrorum aliorumq; doctorū iudicium esto, quibus me libenter & hic, & in alijs lucubratiunculis meis subiicio. Quare à uobis doctissimi iuuenes maiorem in modum peto, ut hanc oratiunculam amico animo accipiatis, & cum aliorum Medicorum in hoc genere scriptis, si libet conferatis. Non dubito quin ex ea collatione aliquid commodi ad uos sit rediturū. Quod si quoq; nobis non indigna quæ Tyronibus Medicinæ legatur, uidebitur, facile ut ædatur patiar: sin minus, non molestum erit ut eam supprimatis. Vestrum igitur adhibete iudicium, ac in commune cōsultite, meamq; operam iuuandi communia studia pro uestra humanitate boni cōsultite. Bene ualete, & me amare peragite, Dantisci, 18. Augusti.

Ioannes Placotomus.

ORATIO

DE RATIONE DISCENDI, AC PRAECIPVE MEDICINAM.

SCRIPTA

Per Ioannem Placotomum.



Aria sunt eorum qui ex hoc loco dicere solent consilia, uariaeq; orandi intentiones. Alij enim exercendi ostentandue ingenij causa, argumeta etiam uiribus suis ali-

quando superiora sumunt, alij uulgares materias, magis, ut ipsi in ijs explicandis uires experiantur, quam quod explicatione alioqui opus habeant, alij uero his neglectis necessaria tantum, uel ad formandos mores, uel ad studia recte instituenda, sine ornatu uerborum tractanda suscipiunt. Quanquam autem priores non improbo (prodest enim exercitij causa eiusmodi argumentis adolescentum ingenia exerceri) utilius tamen esse duco & publicæ doctis personæ magis accommodatum, ostendere quomodo adolescentes, uel ad pietatem & uirtutem inuitentur, uel rectam discendi rationem ad discant.

ria
nsi"
di"
m.

DE RATIONE DISCENDI.

discant. Cum autem de altero argumento sæpe grauissime, nec sine magna admiratione à meis antecessoribus declamatum sit, & studiosi nostri sæpe de pietatis & uirtutis pulchritudine admoniti sint, uisum est mihi de ratione discendi aliquid proponere. Quanquam pleriq; ex uestro numero, hoc argumentum foelicius, & cum maiore dignitate tractare possent: spero tamen meam qualemcunq; operam, quibusdam non ingratam aut infrugiferam fore.

Dicam autem non de ratione studendi in genere, quantum satis est, quod à uiris doctissimis, Erasmo, Rodolpho & Philippo, iam dudum abunde factum est, sed tantum quomodo Medicinæ Tyrones rectissima uia, ad artem longe difficilimam, humanoq; generi utilissimã perueniant, ita tamen, ut non tam hi, quam reliqui omnes scholastici hanc oratiunculam sibi plurimum emolumentum attulisse intelligant. Nam etsi artes ipsæ inter se diuersæ sunt, & quælibet aliquid peculiare habet, in genere tamen omnes, quod ad discendi modum pertinet, conueniunt. Nam primum ingenio opus esse discantibus, ad quascunq; artes nemo inficiabit: deinde institutione & præceptis (nullus enim artifex nascitur) notius est, quam ut longam explicationem seu probationem requirat.

propo-
silio.

Tribus op-
esse disc-
ibitis

DE RATIONE DISCENDI.

Cum autem nec natura artifices efficiat, quantumuis illa foelix sit, nec sola praeccepta sine multo usu sufficiant, tertium quoq; uidelicet usum necessarium esse, negari non potest. Eadem est Galeni quoq; Philosophorum Medicorumq; sine controuersia principis sententia, qui in quodam loco ita scribit: Quapropter mirum non est, in tanta eorum, qui in philosophica medicaq; exercitatione & studio uersantur, inueniri tam paucos, qui recte in illis profecerunt. Aut enim natura parum ad eas sunt appositi, aut non ut conueniebat sunt instituti, aut studijs non fideliter seduloq; institerunt, aut ob Rempublici deniq; capeffendam ab his discesserunt. Haec ille. Idem Hippocrates parens uerae Medicinae sentit, quanquam plura capita facit. Haec igitur tria ad omnes artes recte percipiendas, necessaria sunt, haec omnibus discantibus communia. Conueniunt praeter haec & in multis alijs. Nam & ratio discendi eadem est in omnibus artibus, siquidem ab Elementis incipiendum, a facilioribus et communioribus ordine ad difficiliora atq; abstrusa magis progrediendum, & ad certum finem tanquam scopum perpetuo respiciendum, & omni studio laboreq; contendendum. Est etiam commune iudicium de audiendis lectionibus, de comparandis libris. Sunt praeter haec & communia exercitia legendi, repe-

3
Gale " miris .

Ratio
discendi
eadem
in om
nibus
artibus .

DE RATIONE DISCENDI.

di, repetendi, meditandi, scribendi, disputandi
& similia. Hæc communia sunt omnibus stu-
diosis. Quod cum ita sit, non dubito meam hanc
qualemcumq; oratiunculam, non solum Medi-
cinæ candidatis profuturam, sed etiam omnibus
studiosis aliquid utilitatis allaturam, quam ut
patienti animo benignè audiatis, à nobis docti-
ssimi uiri nagnopere etiam atq; etiam conten-
do, uos uero adolescentes studiosi, ut attente
auscultetis admoneo.

Quanquam autem non ignoro quam diffi-
cile, quam periculosum sit, in tanta opinionum
uarietate, sententiarum diuersitate, & iudicio-
rum morositate, aliquid in medium proferre, &
liberè pronunciare: tamen cum id non osten-
tandi, non reprehendēdi alios gratia, sed bono
consilio, & iuuandi studio, præcipuè Medi-
cinæ tyrones fiat, æquiores iudices me habitu-
rum confido. Talem igitur uiam uobis indi-
cabo, quam ipse ingressurus essem, si denuo ab
initio mihi ars Medica discenda foret, utq; fa-
cilius quid uelim assequamini, singula ordine,
& per certa capita subijciam.

Principio moneo, ut optimos tantum ac pro-
batissimos authores uobis comparetis, audia-
tis, legatis, uobisq; familiares reddatis, quales
sunt

Optim
dunt
Compo
rent

DE RATIONE DISCENDI.

sunt, Hippocrates, Galenus, & qui horum ue-
stigijs insistent. Quoniam uerò horum pluri-
ma & uaria scripta extant, delectus quidam in-
ter ea agendus est, & constituendum quæ assi-
duè, quæ crebro, quæ interdum, deniq; quæ
semel legisse satis sit. Verbi gratia. Metho-
dus curandi assidue uoluenda est, libri de fa-
cultatibus medicamentorum, Item de morbis &
symptomatis crebro. Nam hæc quoq; Galeni
sententia est, qui ita in fine libri de morborum
differentijs scribit: Proinde si semel dun-
taxat ea quæ in hoc opere conscripsimus perle-
geris, nihil utilitatis reportabis, nisi exacta di-
ligentia crebro te in ipsis exercere studueris.
Liber de curandi ratione per uenæsectionem
interdum repetendus. Quæ Galenus contra
Erasistratum & Erasistratios, contra Iulia-
num & Lycum scripsit, semel degustasse suffi-
cit. Vbi in horum lectione aliquamdiu uersati
fueritis & iudicium aliquo modo de arte confir-
maueritis, tum & alios legere licebit: ita ta-
men ut memineritis in horum lectione perpe-
tuo uobis commorandum, ad alios uero non-
nunquam tanquam digrediendum exspatian-
dumq; Neq; uero probo illos qui statim ab
initio, ubi uix degustarunt hoc studium, se mul-
tis authoribus obruunt, & uaria lectione tur-
bant. Sicut enim uarietas & copia etiam op-
timum

DE RATIONE DISCENDI.

timorum alimentorum stomacho molesta est, ita quoque uarietas lectionum ingenium grauat et obtundit. Multo minus illi recte facere iudicandi, qui promiscue omnia sibi coemunt, et sine iudicio quæuis magno labore, nulloque profusus fructu euoluunt. Omnium uero stultissimi sunt, qui magnam sibi multorum authorum supplectilem comparant, et omnis generis libros, tanquam publicam Bibliothecam instructuri coaceruant, quibus ipsi tamen, uel nunquam uel raro admodum utuntur, ac similes esse uidentur, quibusdam qui magnis impensis equos magno emptos ad ostentationem et oblectationem, non ad necessitatem alunt, quos interdum prætereuntes, et in plateis saltantes inspiciant. Præstat in parua republica ciuem esse, quam in magna hospitem. Tenendum est igitur illud aureum Senecæ præceptum, uaria lectio delectat, certa prodest.

Cum autem maxima uis sit ordinis in omni reliqua uita, in omnibus actionibus, non dubium est, quin in discendo, legendisque authorum libris multum quoque momenti habeat. Constitutis igitur authoribus, proxima cura est, obseruare quo loco quidque discendum, quid primo, quid secundo, quid deinceps cognoscendum. Discenda igitur Medicina iuxta usitam

N13 .

Seneca
præcep
de lect

ii obse
uetu
oro

tam

ἄνθρωπος / ἢ ἡ ἀνθρώπου ἀνθρώπου
DE RATIONE DISCENDI.

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

ταμ partium præcipuarum diuisionem, uidelicet principio quæ ad φυσιολογικὴν pertinent, ut constitutionem hominis (qui est Medicinæ subiectum) probe perdiscatis. Et quia hæc pars communis est Medicis cum Physicis, uidentium est, ubi conueniant, ubi discrepent, quomodo Physici, quomodo Medici de Elementis, temperamentis, partibus corporibus, & actionibus eorum differant. Cognita natura humana, id quod Physiologicè tradit, proximum locum ὑγιεινῇ sibi uendicat, quæ docet, quomodo corpus conseruetur, & ad præscriptum uitæ terminum sine molestia perducatur. Quia uero multa in hac rerum humanarum instabilitate & fortunæ iniquitate nobis indies occurrunt, quæ ualetudinis curam impediunt, idoneam uictus rationem seruare uetant, necessario etiam sanitas interdum labefactatur, & corpus in statum uitiosum transfertur, qui dum adhuc exiguus est, nec actiones sensibiliter impedit, corrigi apta diæta potest. Cum uero nimium excedit, & manifeste functiones prohibet, aliunde petere auxilium oportet. Quare alia Medicinæ pars est, quæ affectiones corporis contra naturam explicat, ac inter se distinguit, hanc αιτιολογικὴν uel παθολογικὴν nominant. Differit enim in genere de causis, de differentijs, & accidentibus morborum, quæ

Sympto=

Sympto= mala

DE RATIONE DISCENDI.

Symptomata Medicis dicuntur. Ad cognoscendas autem & uitæ discernendas affectiones præter naturam, & ad iudicandum, quæ partes præ cæteris & primario affitiantur, quæ aliunde, siue propter alias egrotent, quid salutem in morbis promittat, quid mortem certam minetur, quid spe ambigua animum suspendat, signis opus est, quorum doctrinam $\sigma\eta\mu\epsilon\omega\tau\iota\kappa\eta$ quarta pars Medicinæ docet. Restat $\theta\epsilon\rho\alpha\omega\epsilon\omega\tau\iota\kappa\eta$ ultima & longe utilissima pars, quæ propemodum sola artis appellationem retinet, docens quo pacto corpora affecta morbis, in naturalem statum restituantur, aut si id fieri nequit, quomodo dolores insanabiles saltem mitigentur & leniantur. Hunc ordinem si quis in discendo obseruauerit, & per has partes tanquam gradus ascenderit, is sine dubio ad artis fastigium perueniet, & in præstantem Medicum euadet. Quod si obijcias non hoc tenore doceri Medicinam in scholis, ideoque discentem non posse sequi consilium datum, Respondeo, in audiendo dictus ordo perpetuo seruari non potest, in discendo tamen, & potest & debet. In hunc usum comparati sunt libri Isagogici siue compendia Medicinæ, in quibus breuiter & summam capitula artis, & præcipui loci, quos discentem semper in conspectu habere plurimum expedit, perstringuntur. Hinc igitur

iiii
σημειωτικη

θεραπειωτικη

occu
ratio

libri Isagogici

DE RATIONE DISCENDI.

auditis
lectio
equivisur.

quādam
vixit
na sine
vapora

igitur inchoandum, hic primus ad Medicinam
sit aditus, hinc adolescentes curriculum discen-
di auspicentur. Cognitis tanquam extremis li-
neamentis, audacter ulterius auditione lectio-
neq; probatissimorum Medicorum progredi-
endum, ita ad ipsa penetralia artis peruenie-
tur. Publicæ lectiones non sunt fastidiendæ, &
priuato studio postponendæ. Optima enim
doctrina est, quæ uiua uoce hauritur, & habet
aliquid latentis energie uiua uox, ut ille inquit,
Nec est compendiosior uia discendi, quam au-
dire loquentes artifices.

Nemo enim tantum cum iudicio & fructu
una hora legere potest, quantum alius dicere,
& quæ alius multo tempore congeffit, exiguo
spatio tibi communicat. Ut autem attentius
auscultes, auidius discas, melius audita serues,
& uberiores fructus ex lectione reportes, au-
dienda prius domi perlegenda erunt, ut quid
tuo Marte intelligas, ubi interprete opus ha-
beas, animaduertas.

re
re

Sequitur nunc alter locus de Repetitione,
qui priore non minus in discendo momenti ha-
bet. Quid enim prodest bonorum authorum
scripta audire, nisi postea domi diligentissime
relegantur, ut quæ antea ignota erant magis
inno=



DE RATIONE DISCENDI.

innotescant, quæ leuiter accepta, iteratione
firmiter infigantur, & quæ aliena, nunc familia-
ria & quasi domestica reddantur. Quemad-
modum enim cibus ingestus, nisi in uentriculo,
epatèq; & uenis, probè concoquatur, partibus
corporis assimilari nequit, sic quoq; lectio non
bene repetita parum utilitatis adfert. Sit igitur
duplex repetitio, docendi causa ita appellata,
Grammatica & Philosophica. Illius munus sit
ueram & genuinam authoris sententiam, quan-
tum quidem ex uerbis colligi potest, elicere.
Neq; enim parum profecisse iudicandus est, qui
uerba rectè intelligit, & Grammaticam sen-
tentiam assecutus est. Huius uerò officium est
obseruare rationes & probationes, quibus au-
thores suam sententiam confirment, & quæ
necessaria, quæ probabilia tantum sint, expen-
dere, & Dialectica lance pensitare, quæ si non
additæ fuerint, aliunde petendæ & accersen-
dæ. In primis uero uehementer conducit, in
Galenî præsertim lectione magna cura obser-
uare, dispositionem & Oeconomiam orationis,
quid & ubi proponat, quando & quibus ra-
tionibus suam sententiam probet, quando pro-
positioni explicandæ immoretur, quando ad
alia digrediatur, quo loco ad propositum re-
deat, quid ex professo dicatur, quid obiter in-
seratur, ne & à præsentî negotio abducamur,

B

&

Repetitio
duplex
Grammatica

Philosophica

Cura
obseruatio
in Galenî
lectio

DE RATIONE DISCENDI.

Ἐτὰ τὰ ἀγγεῖα, pro re ipsa apprehendamus.
 Videtur hæc esse puerilis admonitio, & artes
 dicendi magis, quam Medicinam discentibus
 congruere, Fateor, sed plus habet in recessu
 (ut Quintiliani uerbis utar) quam in fronte
 promittit. Ipse hisce auribus aliquoties audiui,
 non leuiter omnino doctos interdum in expli-
 catione Galeni adeo à proposito negotio (se-
 ducti crebris & ualde prolixis digressionibus)
 recessisse, ut tandem quo pacto in uiam regre-
 derentur ægrè inuenirent. Non autem satis est
 uerba authoris intelligere, sensumq; affecutum
 esse, & orationis dispositionem animo conce-
 pisse, sed denuo percurrere lectionem auditam
 ab initio oportet, & excerpenti sunt insignes
 loci, sententiæ, theoremata, problemata, quæ-
 stiones, quæ primo conscribantur promiscue in
 quendam librum, quem Diarium uocare licet.
 Accidit autem incipientibus præcipuè in lectio-
 nibus authorum, ut contrariæ sententiæ non-
 nunquam occurrant, uel quæ re uera pugnant,
 aut saltem in spetie, quas cum propter imperi-
 tiam dijudicare, uel cõciliare nondum possunt,
 peculiariter obseruent, & in certum librum
 referant, donec usu & lectione scrupulus exi-
 matur. Affert hæc obseruatio non paruum
 emolumentum, & ad iudicium acuendum pluri-
 mum conducit. Præter dicta est & alius repe-
 tendi

ad repe-
 inueni-
 inu-
 erpere
 methas
 confen-
 re in
 lib-

DE RATIONE DISCENDI.

tendi modus, qui prioribus utilitate nullo modo cedit, uidelicet cum alijs condiscipulis audita repetere & conferre. Hæc repetitio, quasi altera quædam enarratio est, multum ingenium exercet. Conferunt eiusmodi mutua collatio, ut si quid excidit uni, alteri subiiciat, atq; in memoriam reuocet. Quisq; autem alijs plura obseruasse uideri studebit, & emulatio attentionem audiendi exuscitabit. In fine igitur septimanæ Diarium reuoluatur, & quid congestum sit confuse præcedentibus diebus consideretur, & in ordinem redigatur. Hæc est uniuersalis repetitio, quæ accessionem totius septimanæ ob oculos ponit. Hoc loco alio libro opus est, qui

loci communes Medicinæ inscribatur, qui sit tanquam promptuarium quoddam, in quod cuncta in lectionibus sine discrimine collecta atq; annotata ordine reponantur, ut distincta melius seruentur, unde reposita, si libet aut necessitas incidit, paulo negotio recipere & repetere queas. In capitibus locorum communium disponendis, commodiss. est partium Medicinæ, & singularum partium particularum ordinem sequi. In singulis uero locis constituendis Methodum Dialecticam, siue quæstiones Methodi tanquam ducem sequi, utilissimum pariter ac ingeniosissimum est. Scribatur primo titulus, huic addantur Syno-

1111 Cr
alijs c
ferre

v refer
in dicit
ordine
in loco
coro

Eius v
ratum
confer
lo



DE RATIONE DISCENDI.

nima Græcæ & Latinae linguæ, deinde defini-
tiones nominum (si deriuatiua sunt) pariter
& rei ponantur, mox partes uel species, post
has causæ siue externæ siue internæ sint: Post
hæc effectus, cognata, diuersa, pugnantia, ex-
empla & similia.

ediscere
mentibus
in locis.

NB.

Et quoniam libri tantum sunt quasi reposi-
toria quædam, in quæ seruanda reponimus,
quæ nec semper circumferendi, nec ubiq; euo-
uendi occasio datur, quæ uero nobiscum gesta-
mus, multo illis certiora & quodammodo no-
stra sunt, danda est opera, ut non tantum alie-
nis bonis, quemadmodum quidam mercatores
alieno ære magnificè negociantur, sed proprijs
abundemus, ut pleraq; in memoriam omnis sci-
entiæ thesaurum, & fidissimum doctrinæ custo-
dem recondamus. Itaq; quotidie unus locus
uel ut minimum una sententia ediscenda est, fa-
cilis labor & puerilis propemodum, nec mag-
num præ se fert usum omniq; ostentatione ca-
ret, sed si quis exactè æstimet, & omnes sen-
tentiæ exacto anni spatio in unum conferat,
non paruam artis partem se didicisse experia-
tur. Neq; uero sententiæ solum & centones
ediscendi, sed etiam integra quædam scripta
memoriæ mandare necesse est, quemadmodum
artem Medicam Galeni, præfagia Hippocra-
tis &c.

Cog.

Memoria omnis scientiæ
thesaurus et fidis:

DE RATIONE DISCENDI.

Cognatum huic est meditatio siue cogitatio multis nominibus utilissimum exercitium. Nam pariter memoria ratioq; & omnes ingenij vires exercentur. Sicut enim in ediscendo, uerba potissimum & periodorum seriem obseruamus, ita cogitando uel res prius auditas lectasue re tractamus, uel in nouis inueniendis animum intendimus, quod exercitium ad prudentiam comparandam mirum in modum conducit, eamq; ob causam doctissimis quibusq; uiris familiarissimum est. Tribuendum igitur aliquid temporis meditationi, ut non ex tempore, sed re prius bene meditata, ad negocia accedamus.

vii me
Mansi

Neq; styli exercitium negligendum est, quod ut in reliquis studijs omnibus, ita in hoc quoq; est fructuosissimum. Variæ autem sunt materiae scribendi, quibus omnibus uicissim utendum censeo, ex quibus non postremum locum uersio ex Græca lingua in latinam obtinet. Ad quam rem absq; dubio accommodatissimus est Galenus, qui dictione plana & perspicua utitur, & Methodum in docendo ubiq; seruat. Quare crebro eius monumenta uertere expedit, sed præcipue utiliora, ut res necessarie sæpius tractatæ altius ac firmitus animo infigantur, semelq; fideliter perceptæ tenacius hereant. Nihilominus & Hippocratis quædam

viii ex
Colum
p. 6.

DE RATIONE DISCENDI.

NB. Scripta in latinum sermonem transferre multum
 iuuat. Idem de Dioscoride sentio, cuius uer=
 sio utilissimarum rerum copiam, plantarum,
 aliarumq; ad Medicinam necessariarum mate=
 riarum suppellectilem locupletiss. suppeditat.
 Mirabiliter conducit ad studiorum profectum,
 non interdum, sed sepiissime tractare thema
 aliquod, siue simplex siue compositum Metho=
 do Dialectica, per quaestiones omnes, siue Dia=
 lectice tantum, id est, simpliciter, breuiter &
 proprie, siue Rhetoricè, quod est diffusius,
 additis ornamentis & tanquam uestitu elegan=
 tiorè. Verbis explicari uix potest, quantum
 hac exercitatio ad ingenium acuendum, & iu=
 dicium formandum, ad intelligendi explicandiq;
 facilitatem utilitatis adferat. Hoc modo diu
 multumq; exercitati, facile in controuersijs,
 quid praecipue petatur, intelligunt, et ex quibus
 locis contentiones oriantur animaduertunt.
 Affine huic exercitio est, quæ à Galeno fusissi=
 me sunt tractata, in compendium quoddam re=
 digere, aut in tabulas cogere, cuius rei exem=
 pla, tum ueterum, tum recentiorum Medico=
 rum plurima habemus. Similiter quæ ab alijs
 sine certo aliquo ordine scribuntur, aut hinc
 inde in lectione bonorum authorum obseruan=
 tur, in ordinem digerere, & ingeniosum &
 utile est. Verum hæc ad rationem scribendo=
 rum

DE RATIONE DISCENDI.

rum locorum communium pertinent. Dictis exercitijs non minus utile est materiam aliquam, siue locum communem contrahere in paucas propositiones, disputationis modo, quam licet interdum explicare, & scholijs quibusdam illustrare, aut argumenta contraria excogitare, siue contra hanc ipsam, siue contra alienam.

Disputandum etiam non raro, tum publice, si occasio datur, tum priuatim, si illud non conceditur. In disputando autem fugienda $\lambda\omicron\gamma\omicron\mu\alpha\chi\iota\alpha\iota$, non secus atq; in navigando scopuli, quæ uel à scopo differentes inter sese abducunt, uel alioquin implicant, adeo ut ueritas ipsa obseruatur, nec pro dignitate satis clarè eruatur, aut tempus irreparabile inutiliter extrahatur. Nam, quid quæso aliud est de uocabulis contendere (si Galeno credimus) quam tempus perdere? Cauendum quoq; etiam atq; etiam, ne alienis quæstionibus aut argumentis quæ ex parergis nascuntur, à principali propositione nos abduci patiamur, ne nobis accidat, quod noctu iter facientibus, qui dum igniculos uagos in agris discurrentes, sequuntur, longiss. à uia remouentur. Quamobrem ad $\omega\alpha\sigma\epsilon\gamma\gamma\alpha$ tantum $\omega\alpha\sigma\epsilon\gamma\gamma\omega\varsigma$ respondendum, & propositæ rei explicatio diligenter urgenda.

IX P
p
m

7

DE RATIONE DISCENDI.

colla
an
hor

Postremo nec hæc exercitatio silentio prætereunda est, uidelicet collatio diuersorum authorum in eadem materia. Dictu mirum quantum faciant ad formandum acuendumq; iudicium eiusmodi sententiarum inter se comparationes. Ita enim cernitur ubi congruant opiniones, ubi uariant, ubi alius alio plura aut pauciora, ubi aptiora, aut aliena magis dicat, quo consilio alius ab alio interdum discedat dissentiatq;. Atq; hæc de exercitijs quæ Medicis cum alijs studiosis communia sunt in præsentia dixisse sufficiat. Restant nunc alia solis Medicis necessaria, quæ anni tempora & curia solis rationes morborum suppeditant, quæ etsi non ad omnes pertinent, tamen sine molestia ab omnibus audiri possunt. Quapropter à uobis omnibus auditores optimi, peto, ut quod reliquum est, patienter audire non grauemini. Vere & æstate prodeundum interdum, nunc in hortos, in quibus opera humanæ industriæ conspiciuntur: nunc in campos: nunc in sylvas, quæ sponte uaria plantarum genera producant: nunc in montes. Non enim omnis fert omnia tellus, sed alia alijs locis gaudent, proueniunt & proferuntur: Quorum non solum appellationes, sed etiam noticiæ Medico adprime necessarie sunt. Itaq; crebro plantas inspiciant, & omnium ætatum Ideas agnoscere discant, quædam etiam

recessa
ia solis
re dicitis

id
e
p
ndis

DE RATIONE DISCENDI.

etiam decerpant, domum ferant & reponant. Hyeme uerò quando nec progrediendi nec inspiciendi facultas datur, Medicinæ tyro, tanquam sedula apicula, æstiuo tempore congesta & seruata subinde recognoscat, ut quod natura denegat, industria compenset. Perpetuò autem obseruandum, & firmissimè non secus atq; oraculum aliquod tenendum, ut necessaria primum omnium discantur, deinde reliqua quoq; si otium est, & si libet, adiiciantur. Neq; enim artis magnitudo uitæq; breuitas, nos in alienis discendis tempus collocare sinit, sed ad ea potius, quæ usum habent, cognoscenda hortatur. Huc non parum facit crebro ingredi Pharmacopolia, uidere quæ simplicia, ut uocant hoc tempore, quæ composita apud Medicos in usu sunt, quo tempore anni simplicia colligantur, quomodo præparentur, seruentur, reponantur, & quo pacto ex ijs alia atq; alia ad salutem hominum confitiantur, & componantur. Vbi in his uos satis exercitatos, & aliquo usq; progressos esse intellexeritis, tum peculiarem aliquem uirum deligetis, qui usum artis in curationibus morborum demonstret, cuius consuetudine assidue utamini, cum quo ægrotos accedatis, discatisq; quomodo præcepta authorum ad rem ipsam accommodare oporteat. Non enim satis est præcepta no-

*Cin d h
eme.*

N3

DE RATIONE DISCENDI.

uisse, nisi in exemplis uos diu multumq; exercueritis. Neq; enim consulo, ut ipsi artem tam arduam & periculosam profiteamini, priusquam multorum morborum curationem inspexeritis, & periculum in alijs, quid uobis ex usu futurum sit, feceritis, ualde siquidem graue est, ex solis libris mutisq; magistris, priusquam iudicium exemplis multo tempore confirmatum fuerit, Medicinam profiteri. Hoc loco non omittere possum aliud quoddam exercitij genus, quod sine dubio utilis. & quasi repetitio quaedam est omnium quæ in tota arte necessaria ad curationem traduntur, quod si absoluero, mox finem dicendi faciam.

*de modo
scandi
ratione
ratione*

Est autem de modo discendi, siue explicandi, siue recte inquirendi morborum curationes, in quo talis ratio seruanda uidetur. Principio considerentur natura & actiones membri, cuius affectiones inquirere uolumus, ut facilius qualia & quanta sint, quæ præter naturam accidant, intelligatur. Deinde quærantur definitiones primum nominis, & synonyma eius morbi. Hæc non tam ad authores (alij enim aliter interdum eadem appellant) intelligendos, quam ad naturam morborum penitus introspiciendam, faciunt. Mox quærat uera definitio, ad quam inueniendam illustrandamq;

DE RATIONE DISCENDI.

damq; iam dicta etiam conducunt: & diligens animaduersione adhibeatur, qualis sit adfectus, morbus ne an Symptoma. Si Symptoma, causa eius inuestigetur. Nam morbum non Symptoma curare oportet. Post definitionem si generale nomen est, distribuatur in suas species, & diligenter obseruetur, utrum sit morbus per essentiam aut colligantiam. Nam hæc diuersitas curandi intentionem uariat. Sequitur inquisitio & explicatio causarum, quæ non minus hic quam ubiq; locorum in omnibus artibus ponderis habet, cui in primis magno studio incumbendum. Tum demum enim uere aliquid scimus, cum causas eius perspectas habuerimus. Nec minus hic quam alibi uerissima Poëtæ sententia est: Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas. Quin imo ferè curatio à causarum noticia & sublatione pendet. Videndum igitur utrum eiusmodi malum ab externa, an ab interna causa, siue ab utraq; ortum sit. Si ab interna, an hæc cum morbo simul consistere possit, uel à morbo separari queat. Cognitis causis considerata sunt Symptomata, & diserte propria uel morbo peculiaria à reliquis distinguantur. Ex his enim ad cognitionem morbi peruenitur. Signa itaq; sumuntur à symptomatis, quorum priora δὲ αὐτῶσιν εἶναι sunt, quæ nos ad morbi noticiam ducunt, & locum affectum designant.

Inquisitio
Causarum
per se in
inueni
ben dicitur

priora
Signa
δὲ αὐτῶσιν
εἶναι

DE RATIONE DISCENDI.

signant. Horum (ut Symptomatum) alia propria sunt, quæ τὰ θογνώμικα dicuntur, alia communia. Postrema τὰ σογνώσικα dicta, quid spei de ægri salute sit, subiiciunt. Hæc non minorem prioribus usum habent. Nisi enim Medicus, an euasurus sit æger, an uero periturus perspectum habuerit, quid aget? Quare τὰ σογνώσικα nos docent, quando sit curatio molienda, quando uero non. Deploratos enim curare, & stultum est, & Medicum calumnijs exponit, quasi ipsius culpa perierit, quem fors ipsa peremit.

Post hæc omnia sequitur curatio, eaq; duplex est, Methodica & Empirica. Methodica siue rationalis, eo quod omnia secundum rectam rationem in tollendis affectibus præternaturam agit, & persequitur, perficitur uel uictu idoneo tantum, uel medicamentis appositis, uel etiam manu, si prioribus parum proficitur, nec malum tolli per ipsa potest. Ad hæc omnia rectè adhibenda, iudicio magno & Methodo certa opus est, non solum uniuersali, sed etiam particulari. Deinde obseruandum quid singulari quadam proprietate morbos faciat, quid eadem ratione morbos tollat, quid à tota substantia (ut Galenus loqui solet) simile aut contrarium sit, id quod Empiricæ proprium est.

of hum
σογνώ
σικα

ratio
duplex
Methodica

Empirica

DE RATIONE DISCENDI.

um est. Quoniam uerò in curationibus interdum quædam perperam fiunt, uel à Medico nõ rectè monente, uel ab ægroto bene monitis non obtemperante, uel aliunde: Medicus etiam hic prudens esse debet, & obseruare atq; prædicere, quid periculum, quid mortem portendat, ut ipse deinde, si quid tale acciderit, à crimine uindicetur. Huc etiam pertinet, si quid non certam perniciem, sed tantum periculum indicat, ut quod uel negligentia, uel casu delictum est, arte corrigatur, & singulari industria in integrum restituatur. Ergo hoc loco de symptomatum, quæ uel magnitudine morbi, uel culpa Medici, aut ægroti, assistentiumq; uel ab aliqua externa causa acciderunt correctione agendum. Postremo ut semel finem orationi imponam, aliquis locus tribuatur quæstionibus, non illis ociosis & Sophisticis, sed quæ uel ad inquisitionem causarum, uel ad curationes morborum necessario pertinent. Hic authorum diuersæ sententiæ conferantur & concilientur, hæc exercitatio ut liberali ingenio suauissima, ita longe utilissima & maxime necessaria.

Possẽm si uellem, & si tempus pateretur, uobisq; auditores optimi non graue & molestum esset, ea quæ iam obiter & συντομῶς dixi, exemplo declarare, sed quia initio me
breuẽm

DE RATIONE DISCENDI.

breuem futurum pollicebar, promissa seruabo,
nec uos diutius detinebo. Hæc ergo uia mihi
ad Medicinam discendam uidetur, non tam com-
pendiosissima, quam uerissima & utilissima, à
qua, si cui declinare libet, per me quidem licet,
aut si quis meliorem discendi rationem nouit,
ut in commune conferat magnopere peto. Non
pudebit me rectora docenti cedere & palmam
tribuere. Quod reliquum est uos omnes doctiss.
uiri & collegæ amantiss. rogo, ut hanc meam
oratiunculam, quam non ad ostentationem in-
genij comparauit, sed iuuandi studio tyrones
Medicinæ habui, boni consulatis, & si quid
omissum esse, aut non satis dextre tractatum
uidebitur, id ingenij mei tenuitati, & quod in
declamatorijs argumentis me non multum exer-
cui, ascribatis. Vos uero adolescentes hor-
tor, ut meam sententiam de discendi ratione
Medicinam, attente auditam, fideliter quoq;
retineatis, & diligenter cum aliorum
eiusdem argumenti scriptis confera-
tis, ex qua collatione medio-
crem uoluptatem, fructum
uero haud pœnitentem percipietis.



D I X I.

2
P
u


Pd 263

3
ULB Halle
004 099 613


SB

Me





ORATIO
DE RATIONE
DISCENDI,
AC PRÆCIPVE
MEDICINAM.

SCRIPTA
Per Iohannem Placotomum
Doctorem Medicinæ.



LIPSIÆ
IN OFFICINA VALENTINI
PAPÆ.

Anno
M. D. LII.

///

3

